



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

343. An scrutinium fieri debeat secretè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 341. An ad scrutandum vota Electorum, aliumve actum praestandum circa Scrutinium, (non enim hic quaeritur de conscribendo decreto electionis communis, quod transmittendum est ad confirmatorem) praeter tres Scrutatores adhiberi debeat aut possit Notarius cum testibus, & is qualis esse debeat?

Respondeo ad primum negativè. gl. ad c. quia propter, afferens, vota conscribi vel per scrutatores, vel per tabellionem, Host. *ibid.* dicens id tutius fieri per scrutatores. Jo. And. *ibid.* dicens, perinde esse, an hac scriptura sit publica, an privata. Abb. *ibid.* dicens mentem textus esse, ut Scrutatores per eorum aliquem vota redigere debeant in scriptis privatis, quod ipsum ait & probat Pass. n. 37. ipsi namque scrutatores tanquam fide digni electi constituntur ut testes ex officio, quibus fides praestanda. Abb. *loc. cit.* Verumque hoc ipsum est, dum Electores tantum sunt tres vel duo; cum iidem sint scrutatores & Electores; dum autem est unus, potest is publicè & notoriè eligere, seu nominare aliquem, adeoque absque eò, quòd egeat Notario, qui fidem faciat. Pass. n. 38.

2. Respondeo ad secundum: quamvis admitti posse notarium supponant plerique ex cit. AA. teneantque Peyr. in *subd. q. 1. c. 31.* Lezan. Sigism. à Bon. qui tamen de testibus admittendis tacent; videri tamen id parum conforme textui c. quia propter, & Trid. decernenti, ut electio, in regularibus maxime, sit secreta, ait Pass. n. 39. Cum, si Notarius & testes in scrutinio auriculari audiant Electores nominantes, & vel ipsi vota conscribant, vel à scrutatoribus conscripta videant, jam ad minus sex personis vota eligentium sunt manifesta; dum autem scrutinium fit per schedas complicatas, eorum assistentia sit superflua; cum locus, ubi scrutatores scrutantur, sit apertus, & in conspectu omnium Electorum: Nihilominus in monialium electionibus specialis est ratio adhibendi Notarium; cum non sint in illis Scrutatores electi de capitulo Monialium, sed extranei vota earum redigant in scriptum; neque ista electiones formae capituli Quia propter, sint subjecta Pass. n. 40. Hinc decretum, ut in electione Abbatis Episcopus habeat assistentes duos sacerdotes moribus & aetate graves, qui testimonium reddere possint istius actionis, & ad id Notarium publicum adhibeat. Nicolius. v. *Abbatissa. n. 5.* apud Pass.

3. Respondeo ad tertium: in casu, quo licet adhibere Notarium & testes, possunt tam hi, quam ille, esse saeculares, (quamvis melius esset, uti Notario Ecclesiastico; quin etiam ad hoc creari posse à Superioribus Ordinibus ex privilegio Pii V. concessio Praedicatoribus, testatur Pass.) cum nullam exercent jurisdictionem, vel auctoritatem; sed nudum ministerium & officium. Abb. *loc. cit. num. 10.* Peyr. Pass. *ll. cit.*

Quaestio 342. Num Scrutatoribus sit habenda fides?

Respondeo affirmativè: & ita quidem, ut si omnes tres, vel etiam duo ex illis jurati affirmant, aliquem à tot nominatum fuisse, illis sit credendum, etiam si Electores asserant, se talem non nominasse in tanto numero, vel in numero majore eo, qui refertur. c. cum dilectus. de Elect. Abb. ad c. quia propter. n. 9. Host. in *sum. de elect. Biax p. 2. c. 28. num. 3.*

Castel. n. 12. n. 19. Sigism. *dub. 21. in fin.* Idque adhuc verum, etiam si unus Scrutatorum vel Notarius steterit cum Electoribus opposentibus; quia adhuc remanent duo testes contra unum; Electores enim opposentes non sunt nisi testes singulares. Pass. n. 42. & 44. in *fine. ex cit. c. cum dilectus. contra Lavor. c. 19. n. 110.* Quòd si Scrutatores in publicando vota discordarent ab Electoribus, & eorum scriptura, vel etiam à sola eorum scriptura, dubitandum de Electione, dicit Host. *loc. cit. cui consentit Pass. n. 43.* qui tamen ait, planum esse, quòd standum sit Scripturae, ubi saltem unus Scrutatorum concordat cum scriptura & Electoribus. Quòd si scrutatoribus non concordibus inter se, Notarius (ubi hic interfuit) qui vota annotasset, concordaret cum Electoribus omnibus publicato scrutinio negantibus sua vota, sine dubio eis standum, ait Pass. *loc. cit.*

Quaestio 343. An scrutinium fieri debeat secretè?

Respondeo affirmativè, sic expressè habet c. quia propter, comprehendens electiones Praelatorum omnium, tam regularium, quam saecularium, quorum morte sunt viduata Ecclesiae, & qui jurisdictionem universalem exercent; non verò Abbatissarum, aliarumque Praepositarum monialium. Pass. c. 17. n. 2. Quòd longè strictius Trid. sess. 25. de regular. c. 6. pro regularibus (de Electionibus enim Episcoporum, aliorumque Praelatorum saecularium hic nihil disponitur) decernit his verbis: in electione Superiorum, quorumcunque Abbatum temporalium & aliorum officialium (quo nomine non comprehendit officiales quoscunque, sed solum eos, qui Superiores sunt locorum Conventuum, & c. Sive dicantur Guardiani, sive Rectores, sive Priores. Pass. n. 5.) ac Generalium (quos ideo exprimit, ut comprehendat illos omnes, etiam si in aliquibus Ordinibus non sint temporales, sed perpetui) & Abbatissarum, atque aliarum Praepositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, Synodus districtè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur, si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.

Quaestio 344. Num igitur, stante hoc Trident. decreto, valida adhuc sit & licita, etiam quoad Regulares, electio per scrutinium auriculare, quo ea aliàs juxta cit. c. poterat, imò, ut Boer. decif. l. n. 35. Cuchus de elect. l. 4. n. 212. fieri debebat?

Respondeo affirmativè: ita contra Mirand. ro. 2. q. 23. a. 15. Donat. p. 3. tr. 1. q. 6. n. 7. censentes, in hoc per Trid. derogatum capituli Quia propter, Barb. ad cit. sess. 25. c. 7. Ricc. in *prax. resol. 637. in 2. edit.* Garc. de *benef. p. 5. c. 6. n. 189.* Tamb. de *jure Abb. ro. 1. d. 5. q. 6. n. 8.* & de *jure Abbatiss. d. 28. q. 4.* Suar. de *relig. ro. 4. tr. 8. l. 2. c. 1. n. 10.* Pass. *cit. c. 17. n. 5. ex Suar. Tamb. & Garc. verbotenus referens plures pro hac sententia declarationes S. Congreg. Quibus non obstat, quòd eadem Congregatio declaravit contrarium in electione Abbatissarum, nimirum vota ore tenus accipi non posse ab earum Superioribus cum duobus testibus; sic enim declaravit specialiter circa eas earum electiones, in quibus praxer deputatos adhibentur duo testes, per quos electio publicari possit; ipsum namque Trident. de cetero expressè statuit c. 7. illius sess. 25. de regular. quòd electio Abbatissa possit fieri auriculariter, Episcopo aut Superiore ad tene-*